



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliae Catholicae De Sacris Arcanis Deiparæ Mariæ Et Iosephi

Cum quadruplici Indice

Cartagena, Juan de

Coloniae Agrippinae, 1613

Eisdem Fælicitatem Typographvs Romanvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51414)

EISDEM FÆLICITATEM
T Y P O G R A P H V S
R O M A N V S.



VI D me impulerit, Candidi Lectores, vt egregium hoc opus R. admodum, & doctissimi P. Ioan. Carthagenæ prælo mea impensa excuderem, non est cur multis declarem. Cùm enim mihi soli me natum non esse cognoscam, sed vt aliis prosim iis in rebus, quibus à me iuuari quisq. possit, opus verò hoc mirū in modū vtile Concionatoribus, maxima industria elaboratum, insigni limatū doctrina, & præclaris ornamentis expolitum, à vobis desiderari intelligerem: incensus maximè sum, vt vel etiam meo impendio vestris votis satisfacerem. Quantum enim eruditissimi Auctoris ingeniosæ & doctæ elucubrationes vobis placerent, non obscuro argumento declarastis, emisso proximis mēsis primo Homiliarum Volumine, quod breui temporis spatio ad mille volumina à bibliothecis euauerunt; iam iterum in Germania, & Gallia recudantur; & non semel meis auribus Romæ sacros Concionatores è suggestu exceperim, qui Auctorem & eius Homilias honorificè citauerint. Quibus nō solum inuitatus, sed propè impulsus sum, vt præsens opus emitterē, verū etiam aliud de B. M. V. volumen expediam Typis commendare. tum opus de arcanis Euangelicæ doctrinæ in duos tomos distributum: deinde de arcanis Sanctorum, quos Ecclesia Catholica speciali festo cōcelebrat: postremò Disputationes selectas de arcanis Dialecticæ, Philosophiæ, & Metaphysicæ. Demùm disputationes Miscellaneas de arcanis sacre Theologiæ, tam scholasticæ, quā moralis in quatuor volumina diuisum. Hæc nempe omnia doctè & ornatè felicissimum Auctoris ingenium effudit, quæ ab eodem impetrata, in lucem dabo. Vtinam nostrum in vos studium secundet Deus. Interim vestro maximo hoc commodo fruimini & valete.